

783  
104

Q. B. V.

# ARBORETUM SVECICUM,

QUOD  
CONSENS. EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ.  
IN ILLUSTR. LYCEO UPSALIENSI,

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO atque EXPERIENTISSIMO*

**DNO DOCT. CAROLO  
LINNÆO,**

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.  
ACADEMIÆ UPSALIENS. HOLM. PETROPOL.  
BEROL. IMPER. LONDINENS. MONSPEL.  
TOLOS. ET FLORENT. SOCIO,  
ACAD. H. T. RRCTORE MAGNIFICO.  
PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

STIPENDIARIUS SCHEDINGIANUS

**DAVID DAVIDIS PONTIN,**  
OSTRO-GOTHUS.

REG. SCIENTIAR. ACADEM. SVEC. ADSRIPT.  
IN AUDITORIO CAROL. MAJ. D. 40 JUNII  
ANNI MDCCLIX. 1759

H. A. M. S.

UPSALIÆ.

101  
B5

*Bibliothèque*



ILLUSTRISSIMÆ  
REGIÆ  
SCIENTIARUM  
ACADEMIÆ  
STOCKHOLMENSIS

**S**pecimen hocce Academicum,  
pia & devotissima mente,  
consecratum voluit

DAVID D. PONTIN.





*Quanam qualisque esset vita sine arbore ulla,  
sine Frutice viventium?* PLINIUS.

D. D.



Artem Arboreticam, a pluribus licet inceptam, ad umbilicum tamen a nemine perductam esse existimo; quare nihil fere communius, vel in publicis vel privatis congressibus, quam querelas audire ob defectum silvarum, qui patriæ nostræ, imminet, cum non possit non portendere denuntiareque olim calamitatem longe tristissimam. Plurimi, inquam, questum hunc frequentant, timoræ haud mediocri percussi; multi nihil nisi de seminatione arborum loquuntur, at pauci tantæ rei manus admovent auxiliares; nonnullos Quercubus & Pinis aliqua conseruisse loca vidi, sed paucissimos, proh dolor! cum successu exoptato.

Argumentum itaque hoc ipso, de silvicultura, utilius & elaboratu dignius eligere me non potuisse arbitror\*); cum idem summo Magistratui cordi fuerit; cum-

B 2

que

\*) sed dubitant homines serere atque impendere curam, quid majora sequar? Salices humilesque Genistæ, aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbram sufficiunt; sepemque satis, & pabula melli.

non ulli obnoxia curæ.

VIRG.

Cicæ-



que eo civibus optimis me inservire sperem, pariterque etiam illæ artes & scientiæ, non infimum sibi vindicent locum, quæ ad felicitatem reipublicæ conferunt.

Non sine dolore plebeculam intellexi carere requisitis, ad peramplum hoc opus necessariis; intellexi sapius totam fere vulgi silviculturam magis substituisse nudis verbis, quam praxi labori adnexa: existimando Arbores ferere, aut exiguam esse artem, aut plane naturæ relinquentiam, quoniam arbores, tota die, e terra excrevant ac semet ipsas multiplicent, nec recordando Quercum, Pinum vel aliud quodlibet lignum facilius citiusque extirpari, quam, extirpati loco, enasci: & quid turpius visu esse potest quam campum sine gramine, fruticem sine fronde, terram sine arbore. \*)

## CAPUT I.

### §. I.

Arbores & densæ silvæ loca, veluti Naturæ duce, occupant, ubi vel nulli, vel pauci admodum homines commode versantur; e contrario autem, quo magis homines sese multiplicent, eo etiam magis silvæ exciuntur & eradicantur, foci, sepimentorum, arearum, agrorum & pratorum causâ, præsertim ubi vulgus, ut apud nostrates, agriculturam & vitam pastoritiam peculiarem sibi vindicat. Hinc cum homines *domos* & *villas* in desertis exstruant, arbores etiam magis magisque extirpari solent. Præterea ad depauperandas silvas id referri debet, quod pleraque nostra *domicilia*, *pontes*, *sepimenta* circa agros, prata & pascua, non sine perniciofa silvarum jactura, lignis contexta sunt; ut, arbores si post  
hac

---

Cicero cum de Reipublicæ salute ageret, dixit: Nihil homine libero agricultura dignius. *Alibi*; In Agris Silvisque sunt Senatores.

\*) Columella suo ævo dixit.



hac tanta licentia & luxuria, uti antea, sternantur, nec arte, neque cura ullius, restituantur, posteris, *jure meritoque*, depravatam perditamque majoribus objectare queant œconomiae rationem.

§. II.

Omnibus etiam sine dubio notum est, quod, prædia possidentes, nimios sibi sæpius efflagitent fructus; ista quidem cupido interdum, quod dolendum est, per avaritiam late sese diffudit, ut ligna majori quantitate, quam par est, exteris vendantur, & asseres ad peregrina exportentur littora: sic *Pix* coquitur liquida & inspissata, nec non fabricantur *Cineres clavellati*, qui per universam divenduntur Europam: Rusticus item, lucri gratia, *Carbones* & ligna ut officinis parata habeat, extirpat maximas arbores, ne reticeam largam illam portionem lignorum, quæ, tempore hiemali, in focis nostris consumitur: Denique, detestabilis distillatio *Spiritus frumenti*, quæ, haud ita pridem, felicissime obdormiscere cepit, & jure optem nunquam resuscitetur, lignum carius reddidit. *Res vero metallica*, quæ indies deteguntur, ac metallorum liquatione præparationeve occupantur, haud immerito Reipublicæ maximum adferunt lucrum, nec non firmam robustamque eam reddunt, e quibus vero si fructus percipere velimus, necessum esset magnam, & sane indefessam, adhiberi curam, qua Silvarum non tantum conservationem, sed etiam propagationem existimo, ne quando lugeamus defectum carbonum, cum DEus det metallum \*).

§. III.

Colere Sylvas & serere arbores docuere dudum nostratum plurimi, quorum studium patriæ inserviendi, magis, quam artem & experientiam sæpius laudare debeo, nec me actum agere opinor, si huic rei funda-

\*) Ut verba exstant in moneta quadam Cuprimontana.



mentum solidum sternam, ne exædificanda domus facile ruat. Ut in hac re quid præstarem, sumsi ea, quæ ex ore & scriptis Nob. D. ni Præsidis colligere licuit, nec reperi apud alios similia, multo minus præstantiora. Scopo meo, præ ceteris inservire *Stationes plantarum, Horticultura academica, Flora Svecica, Flora Alpina; itinera, Oelandicum & Gotblandicum, Westrogothicum & Scanicum.*

Duo inprimis requiruntur, apud eum momenta, qui hoc in opere quidquam eximii efficere velit, imbutus sit oportet principiis solidis *Historiæ naturalis*, nec non *manibus labori adsuætis* gaudeat.

## CAPUT II.

### §. I.

Primum est hac in tractatione, rite noscas B. L. *arbores patriæ indigenas*, quæ borealem nostri cœli temperiem patiuntur, sponteque nascentes; frustra enim accersuntur ex australibus regionibus *exotica* arbores in patriam, quarum pleræquæ gemmis carent, quas nulla consuetudo ipsis addere potest, quare frustra apud nos coluntur.

### §. II.

Eam tamen non foveo sententiam; quod omnes arbores, quæ intra fines patriæ reperiuntur, ubique, pari cum successu, propagari queant: nam aliæ arbores alpes, aliæ australiores tepidioresque patriæ provincias adamant; frigidiores & boreales aliæ; aliæ in fertili humo, aliæ in macra terra luxuriant; aliæ gaudent arenosis & apricis, aliæ argillosis, succulentis & umbrosis locis; aliæ aquosis, paludosis & ad littora; aliæ aridis & collibus lætantur. Nisi distincte hæc teneamus, & cuique arbori proprium solum concedamus, irritus erit omnis labor.

### §. III.

Quantum itaque in me est, hanc rem breviter pertractare & difficiliora enodare conabor, quare ARBORES



RES proprie dictas, quæ scilicet firmis atque validis gaudent truncis, & comas coronasque in altum extollunt, ne a pecoribus tonderi possint, secundum methodum Sexualem, primum sistam, dein easdem ad certas redigam classes œconomicas, ut ad fines adfinibus jungantur.

§. IV.

METHODO SEXUALI.

PENTANDRIA.

\*) 226. *Ulmus campestris.* 219. \*\*)

HEPTANDRIA.

*Æsculus Hippocastanum. Spec. Plant. 345.*

ICOSANDRIA.

429. *Prunus avium.*

430. *domestica.*

*Cerasus. Spec. Plant. 474.*

431. *Padus.* 396.

433. *Cratægus Aria.* 398.

435. *Sorbus aucuparia.* 400.

336. *Pyrus communis.* 401.

437. *Malus.* 402.

POLYANDRIA.

471. *Tilia europæa.* 432.

MONOECIA.

859. *Betula alba.* 776.

861. *Alnus.* 775.

870. *Quercus Robur.* 784.

871. *Fagus sylvatica.* 785.

872. *Carpinus Betulus.* 786.

874.

\*) Prior numerus *Floram Svecicam*, secundæ editionis notat.

\*\*) Posterior vero editionis primæ *Floram* indicat, *Floramque Oeconomicam*.

NB. Omnia hæc nomina, quæ carent numeris in principio, reperiuntur in *Speciebus Plantarum*, quæ vero tantum in fine, non leguntur in *Flora Svecica*.



874. Pinus *silvestris.* 788.

875. *Abies.* 789.

DIOECIA.

883. Salix *fragilis.* 795.

900. *caprea.* 811.

903. *alba.* 812.

909. Populus *tremula.* 819.

910. *nigra.*

911. *alba.* 820.

915. Juniperus *communis.* 824.

916. Taxus *baccata.* 825.

POLYGAMIA.

924. Acer *Platanoides.* 303.

925. *campestre.*

*Pseudoplatanus.* *Spec. Plant.* 1055.

926. Fraxinus *excelsior.* 469.

CAP. III.

§. I.

Hæ enumeratæ arbores ad sequentes spectant *ordines economicos.*

§. II.

INDIGENÆ.

I. HIEMALES.

1. Fall. Fl. Sv. 874. Pinus *silvestris.* Fl. Oec. 788.

2. Gran. Fl. Sv. 815. *Abies.* Fl. Oec. 789.

3. Id. Fl. Sv. 916. Taxus *baccata.* Fl. Oec. 825.

4. En. Fl. Sv. 915. Juniperus *communis.* Fl. Oec. 824.

II. URBANÆ.

5. Unt. Fl. Sv. 226. Ulmus *campestris.* Fl. Oec. 219.

6. Lind. Fl. Sv. 471. Tilia *europæa.* Fl. Oec. 432.

7. Aß. Fl. Sv. 926. Fraxinus *excelsior.* Fl. Oec. 469.

8. Lönn. Fl. Sv. 924. Acer *Platanoides.* Fl. Oec. 303.

III.



### III. PRATENSES.

- |                    |              |          |                   |               |
|--------------------|--------------|----------|-------------------|---------------|
| 9. Fogelkiersebår. | Fl. Sv. 429. | Prunus   | <i>avium.</i>     |               |
| 10. Hågg.          | Fl. Sv. 431. |          | <i>Padus.</i>     | Fl. Oec. 396. |
| 11. Ørel.          | Fl. Sv. 433. | Cratægus | <i>Aria.</i>      | Fl. Oec. 398. |
| 12. Run.           | Fl. Sv. 435. | Sorbus   | <i>aucuparia.</i> | Fl. Oec. 406. |
| 13. Skogs-Appel.   | Fl. Sv. 437. | Pyrus    | <i>Malus.</i>     | Fl. Oec. 402. |
| 14. Will-Varon.    | Fl. Sv. 436. |          | <i>communis.</i>  | Fl. Oec. 401. |

### SILVESTRES.

- |               |              |          |                   |               |
|---------------|--------------|----------|-------------------|---------------|
| 15. Ee.       | Fl. Sv. 870. | Quercus  | <i>Robur.</i>     | Fl. Oec. 784. |
| 16. Bof.      | Fl. Sv. 871. | Fagus    | <i>silvatica.</i> | Fl. Oec. 785. |
| 17. Urvenbof. | Fl. Sv. 872. | Carpinus | <i>Betulus.</i>   | Fl. Oec. 786. |
| 18. Bjørk.    | Fl. Sv. 859. | Betula   | <i>alba.</i>      | Fl. Oec. 776. |
| 19. Ahl.      | Fl. Sv. 861. |          | <i>Alnus.</i>     | Fl. Oec. 775. |
| 20. Asp.      | Fl. Sv. 909. | Populus  | <i>tremula.</i>   | Fl. Oec. 819. |
| 21. Popel.    | Fl. Sv. 910. |          | <i>nigra.</i>     |               |
| 22. Abel.     | Fl. Sv. 911. |          | <i>alba.</i>      | Fl. Oec. 820. |
| 23. Vil.      | Fl. Sv. 883. | Salix.   | <i>fragilis.</i>  | Fl. Oec. 795. |
| 24. Hvit Vil. | Fl. Sv. 903. |          | <i>alba.</i>      |               |
| 25. Sælg.     | Fl. Sv. 900. |          | <i>capræa.</i>    |               |

§. II.

### V. EXOTICÆ.

- |                     |                    |         |                        |
|---------------------|--------------------|---------|------------------------|
| 26. Håst-Kastanier. | Spec. Plant. 345.  | Æsculus | <i>Hippocastanum.</i>  |
| 27.                 | Spec. Plant. 1055. | Acer    | <i>Pseudoplatanus.</i> |
| 28. Kiersebår.      | Spec. Plant. 474.  | Prunus  | <i>Cerasus.</i>        |
| 29. Blommon.        | Fl. Sv. 430.       |         | <i>domestica.</i>      |

### CAP. IV.

§. I.

HIEMALES (Barr-Trån) sunt arbores; quæ feras nostras silvas constituunt, ac semper virentes spernunt patriæ frigora; unde summus rerum Moderator eas instruxit foliis subulatis parvis, ne rami earum, dilapsa nive in folia, deprimerentur & frangerentur, eaque saturavit Resina, quo in intensissimis frigoribus sempervirentes per-



sisterent; luxuriant hæ & sese facillime propagant in sterilissimis campis, ubi vix aliæ plantæ leguntur, quam Erica, Festuca *Ovina*, Hypnum & similia; promovent muscos, & impediunt fertilia gramina.

II. URBANÆ (*Gårds-Trån*), quæ non tantum in altum attollunt comam, sed etiam æquali gaudent trunco præstantissimaque panicula, quæ in opere topiario varias figuras facile admittit: cum vero hæ nec suffocant gramen, neque invisò reptatu terram conspurcant, ad pagos, vias & palatia, nec non ad ambulacra in apricis præcipue plantari debent.

III. PRATENSES (*Ångs-Trån*) appellamus illas, quæ & possunt & debent tantum in pratis propagari, eo magis, quod in silvis non facile crescunt. Fructibus harum pleræque carnosus gaudent, & fere unicæ sunt, quæ cum urbanis prata intrarent, quod si concederetur, prata potius pulcerrimos referrent hortos, quam incultas silvas constituerent, ut multis in locis hodie fit, unde prata exhauriuntur & sterilefcunt, ut plantis enectis, solo musco, obtegantur; Pratenses hæ lætificant prata rorida umbra, & exsiccantes arcent ventos.

IV. SILVESTRES, (*Skogs-Trån*) dictæ crescunt in locis sterilissimis, iisque aut aridis aut paludosis, ideoque commode cum hiemalibus cohabitant. Pleræque harum terræ fertilitatem exhauriunt, muscos & algas promovent, ac gramina & herbas destruunt, qua de causa, jure meritoque, a pratis exulent, & sterilissimas constituent, ligni causa, silvas.

V. EXOTICÆ (*Utländska Trån*) nonnullæ, quæ nostra frigora sustinent, & jus civitatis apud nos obtinuerunt, quas, corollarii loco, adjiciam:

§. II.

Quemadmodum sanitas animalium inconcussa servatur selectu diæteticis, ita & vegetabilum, quæ, vi-  
vunt



vunt æque ac animalia, licet non sentiant\*). Medici diætã in sex rebus non naturalibus, unanimi consensu, consistere statuunt; quarum 1. *Aër* respirandus. 2. *Ingesta Cibi & Potus* 3. *Motus* eique opposita *Quies*. 4. *Excreta & Generatio* 5. *Somnus*. 6. *Affectus*. Harum duæ ultimæ, somnus proprie sic dictus scilicet & affectus, in vegetabilia, systemate nervoso destituta, non cadunt; adeoque quatuor tantum priora momenta in vegetabilium diætã probe sunt observanda; si vero ex hisce unicum deficiat, pereant arbores necesse est æque, ac animalia ex errore in sua diætã. Nostrium itaque erit ad Arborum felicem culturam respicere earundemque 1. *Aërem* ex climate petatum, qui sit calidus, aut frigidus, humidus, aut siccus. 2. *Cibum & Potum* ex variis terræ specibus, nec non ex aquoso aut sicco solo. 3. *Motum* ex loco aprico aut umbroso. 4. *Excreta*, qua florendi & fructificandi requisita.

CAP. V.  
HIEMALES.

*Frigora nec tantum cana concreta pruina  
Illis nocent: - - - - - VIRG.*

I. PINUS *silvestris* Fl. Sv. 874. (Call, Sur) *habitat* per totam Sveciam, excepta Scania campestri, a qua usque ad alpes Lapponicas adscendit. In angustiis longum integerrimamque truncum; in apricis ramosissima; in rupestribus vero & cæspitosis, pygmæa ac incomta evadit arbor \*\*). Macram & arenosam sibi expetit *Ter-*  
B 2 *ram,*

\*) Vide Dissertat. de Sponsaliis Plantarum.

\*\*) Hinc opinionem vulgi ortam esse existimo; nempe quod plures Species Pini, apud nos crescerent. e.g. *Malmfur, Stagir, Gårfur, Morsur* och *Marfur*. Sed differentiam suam debent tantum solo vel loco, ubi hæc pini succrescunt. *Observationes*



ram, debilitatur ab argillacea, ægrotat in humo atra, & emoritur in cretacea: *Et si aquam fluentem aliquando, minime vero stagnantem, fert. Floret, mense Florescentiæ\**). Flores feminei superiora, masculi autem, in una eademque arbore, inferiora occuparunt loca; quare etiam pollen tempore florescentiæ quassata arbore, nebulosè e maribus fumet, ascendat, & ad feminarum stigmata naturæ consensu adproperet. Dimittit semina sequente anno, mense frondescentiæ: strobili itaque legantur mense germinationis & in loco tepido supra linteum quoddam siccentur, dum hi squamas suas aperiunt & semina sponte edunt; quæ in sulco exarato parum alto, terra condantur; & ne gelu tenellas radículas, insequente vere, evellat, contegantur musco. Ætatem CCCC. annorum rarius attingit\*\*). Gemmæ terminales tantum ramos exferunt, adeoque minime omnium topiaria est. *Radices*, velut in ipsa superficie terræ natant, primaria tantum radice excepta, quæ perpendiculariter alte sese in terram demergit, quare etiam hæc arbor vix transplantatur. Si vero *Radix* hæc *primaria* vel coarctetur inter rupes vel ab alio saxo impeditur, ut descendere nequeat, neque altius ascendet caulis apex, unde pygmæa evadit, teste experientia quotidiana.

II. *Pinus Abies* Fl. Sv. 875 (Gran) totam agnoscit Sveciam, Scania campestri excepta, pro sua patria. In vario *crescit* solo, nec vastissimæ silvæ eam abhorrent, nec aprica loca, ubi turbulentæ tempestates irruunt, eam fatigant; in sterilissimis campis contenta est sua sorte, licet

---

nes hanc rem firmant, quod si *Pinus* in Alpibus *crescit* pygmæa evadit; si in paludibus, gaudet buxæ duritiæ & cortice griseo; in apricis vix ac ne vix quidem truncum nudum unam orgyram extollit, sed ramosissimam undique expandit paniculam.

\*) Anni tempora sic non minus egregie, quam apte, dimensa sunt in duodecim menses. Vide *Calendarium Floræ*.

\*\*) It. W. Goth. p. 247.



licet pingviorem humum nunquam recuset, cretaceam vero non fert; in subhumidis semper degit, siccissima vero omnis respuit. *Floret* mense Florescentiæ: *Flores* ut antecedentis dispositi sunt. *Semina* sua dimittit sequente anno mense Regelationis, quæ collecta terræ mandentur eodem modo, ac de Pino *silvestri* commemoratum est. *Ramos laterales* amputari finit, ut in arborem æquali trunco excreseat, modo ad radicem relinquuntur, qui eandem tegant, ut ex eorum umbra patrocinium habeat; aliasq; emarcescit arbor. *Pulcherrima* est sèpibus vivis in hortis, cum inter topiarias nostrates nequaquam ultimo loco sit habenda, semperq; virescit: *Difficilis* est *transplantatu*, quoniam fibrosæ ejus radices valde se expandunt, & sub superficie terræ reptant; cum vero semel vel bis transposita est, facillime deinde transplantari potest, quum mutilatæ truncatæque ejus radices postea radículas laterales plurimas exseruerunt. Porro observari meretur, quando transplantetur, quod radices ejus nec profundius demergantur, nec altius collocentur, quam antea & inprimis quod latus arboris antea soli obversum eandem plagam respiciat; Unde Poëta sic cecinit:

*Quin etiam celi regionem in cortice signant;*  
*Ut quo, quæque modo steterit, qua parte calores*  
*Austrinos tulerit, qua terga obverterit axi,*  
*Restituant.*

III. TAXUS *baccata*, Fl. Sv. 916. (3d) *habitat* in pratis maritimis *OstroGothicæ*, *Smolandicæ* & *Babusicæ*, præsertim vero *Gotblandicæ*: extra hæc propria sua loca, majorem cultori suo curam & laborem injungit, si ultra hortum eam propagare animus sit. Succulentam vel dædalam sibi expetit *humum*, contabescit in cæspitosis ac languescit in apricis & montosis. *Floret* mense Frondescentiæ, & *Baccæ* leguntur sequente anno mense Regelationis. Intra biennium rarius *germi-*



*vant Semina.* Enatæ Plantæ duos annos ab exortu transplan-  
tandæ in terra fœcunda, per VI. ad VIII. ulnas distantes,  
idque sub umbra peregrinis ramis parata. Aliæ arbores  
Feminæ sunt, aliæ Mares. Inter præstantissimas *topiari-*  
*as* arbores, hæc primum tenet locum; nam qualibet figura  
facile ipsi induci potest. E Gallia in nostros hortos etjam ad-  
huc adportatur, quamquam Sveciæ indigenæ arbor est. Hæc  
vero arbor australis sæpius apud nos frigore emoritur,  
cum indigenæ nostrates hiemes facile ferunt.

IV. JUNIPERUS *communis*, Fl. Sv. 915. (En) ubique  
per totam Sveciam *occurrit* vulgatissima; minus qua cli-  
ma & solum delicata est; lætatur tam fertioribus quam  
sterioribus; campis, nec nemora fastidit, nec ari-  
da, nec humentia respuit: *habitat* etiam tam in alpi-  
bus Lapponicis, quam in planitie Scaniæ; in declivi autem loco  
erectiori gaudet trunco, fertque speciem Cupressi, sed  
in rupibus & jugis montium, nec non uliginosis, humi-  
lis & sæpius repens evadit. *Floret* cum Padô mense Flo-  
rescentiæ: *Flores* dioici sunt, cum masculi & feminei in di-  
stinctis arboribus proveniunt. *Baccæ* fere post biennium  
maturantur autumnò. E feminibus facile prodit, quæ ubi-  
que ab avibus feruntur: dum Turdi aliæque aviculæ,  
cum pulpam baccarum devoraverint, semina dispergunt,  
& deglutita duplici deinde fœnore reddunt, nam si ven-  
triculum integra intravere, illasæ semper exeunt & ster-  
corata. *Transplantatur* etiam facile malleolis propriis ra-  
dicibus innixis. Inter *topiarios* præstantiores locum ob-  
tinet & pro sepibus rigidis suis ramulis inservit, sed alti-  
tudinem humanam raro superat. *Radices* frutice exciso diu  
in terra remanent, quæ præsertim in uliginosis & humidis  
primæ matres sunt toforum, quæ pascua commaculant.  
*Avena pratensis* Fl. Sv. 104. autem infestissimus Juniperi  
hostis eamque trucidat; prudens œconomus Juniperum  
in prato crescere non permittat, quia suffocat gramen  
emaciat terram, eamque muscis obducit. §. II.



§. II.

Hiemales hæ quatuor arbores, Betula *alba* forsitan addita, minime locum obtineant in pratis, quia non tantum fertilitatem terræ absorbent, sed etiam foliis suis acerosis demissis, seroque computrescentibus, Plantas suffocant, promovent muscos imprimis Polytrichum, Bryum & Hypnum: potius vero in sterilissimis campis propagari & multiplicari debent, ubi, præ reliquis, luxuriant. Tam ad sepes vivas, quam opera topiaria hortorum præstantiores, excepta Pinu *silvestri*, nullas habemus silvestres arbores, quod non tantum tonsione densiores evadunt, sed etiam quod sempervirentes sunt. Tædet apud rusticos videre, tam in nuptiis, quam funebralibus suis celebrandis, pulcerrimas extirpari arbores pro unius alteriusve diei ornamento ad postes, vias, portasque sepimentorum, cum ibi facillime perennes crescerent Abietes &c. si eo transferrentur & plantarentur, relictis tantum ad radicem, uti dictum, ramulis, qui pedem arboris tegerent.

CAP. VI.

§. I.

URBANÆ.

*Sin tumulis acclive solum, colleisque supinos,  
Indulge ordinibus: nec secius omnis in unguem  
Arboribus positis secto via limite quadret.*

POETÆ MARONIS.

V. ULMUS *campestris* Fl. Sv. 226. (Ulm.) *habitat frequens in pratis WestroGothicæ, Smolandicæ, Uplandicæ, at in Scaniae campis vastissima occurrit; sed supra Gestriciam vix reperiunda est. Fertiles amat campos apricos, lætatur humo atra, nec argillacea ei ingrata est, ficca vero sterilia & dura fastidit. Floret corymbis brevissimis.*



vissimis cum *Viola Odorata*, priusquam folia explicare incipit, circa finem mense Germinationis. *Semina* læpius vernali gelu nocturno corrumpuntur, quare læta apud nos rarius germinant; cæterum maturescunt mox a solstitio æstivo & quæ læta primo anno erumpunt, & instar cannabis luxuriant. *Facilis* transplantatu arbor est vel per malleolos, vel surculos, qui radices facile agunt; Paniculam fert præstantissimam & in opere topiario eximiam. Inprimis nobilissimæ obtinentur arbores, si truncus amputatur & ad radicem emissi stolones in terram demerguntur, ut radices agant, qui demum a trunco separati & inter singulos, intervallo relicto XII vel XVI. ulnarum, alligantur baculis in principio, ne curvus evadat stipes; deinde probe est observandum, truncum nudum brevior fieri non debere, quam, ut currus commode sub ramis ejus agitari possit. Hæc arbor ad *ambulacra* in apricis conducit magnopere, quum non destruit gramen, nec conspurcat terram cum surculis, & gaudet fronde pecoribus accepta & umbram præbet æstate hominibus pergratam.

VI. *TILIA europæa* Fl. Sv. 471. (Lind) *habitat* in monticulis & nemorosis, Sveciæ australioris frequentior, raro vero in septentrionalibus. *Loco* delectatur præcipue delivi & glabretolo, etiam si non respuit humum roridam & succulentam. *Explicat Flores* fragrantis mense Grossificationis; *Semina* vero rarius apud nos maturescunt, quare divisis radicibus plerumque propagatur. *Tiliz belgicæ*, quæ olim nostris palmam præripiebant & quotannis e Belgio adportabantur, per submersionem more Ulmi, tam pulchræ evadunt, ut vulgus has distinctas species crederet. *Facile transplantatur*, aptissime tondetur, gramen promovet, *ambulacra exornat*, ruraque florum odore gratissimo exhilarat.

VII. FRA-



VII. FRAXINUS *excelsior* Fl. Sv. 926. (Mff) passim per totam Sveciam usque in Gestriciam sed vix ultra, *crescit*, præcipue in Olandia præstantissima & copiosissima obtinetur: Nemorosus lætatur, in campis apricis Scania vastissima habetur, ubi pingui & humidiuscula humo delectatur ad pagos. *Floret* ultimis diebus mensis Frondescentiæ, priusquam folia perfecte explicuit, ne pollen feminarum stigmatas illabi impediatur, quod semper observari meretur; quia ubicunque flores masculi & feminei diversis arboribus sunt, & nuptiæ non fiunt occultæ; ibi florescentia ante foliorum exortum peragitur, ne fœcundatis foliis intervenientibus inhibeat, ut in Betula *alba* & *Alno*, Carpino, Corylo, Fraxino & pluribus videre est. Aliæ etiam Fraxini arbores sunt hermaphroditæ, aliæ vel feminae vel masculinæ tantum. Reliquis nostratibus Arboribus serius folia promittit, citius ea autumno dejicit, compensans vero brevis gaudium coma viridissima. *Semina* mense Defoliationis dimittit. Facillime *seritur* nec majori negotio vivis radicibus multiplicatur. Celerrime *crescit*, unde quidam Carolus anglus hujus tantum plantatione, angusto licet loco, M & X ducatis lucrabatur, teste Evelyno \*). Facile *transplantari* potest, apte tondetur, densaque coma evadit. Lacrymas primo vere fundit, quo tempore lacrymantes arbores tondere non licet \*\*).

VIII. ACER *Plantanoides* Fl. Sv. 924. (Edm) *habitat* passim ad domos & in pratis, præsertim australium provinciarum; vix occurrit supra Gestriciam, Apricis & campis lætatur, arenosa quærit, quamquam minime humum pingvdiorem contemnit, umbrosa tamen fastidit. *Contaminatur* læpius Mucro *Erysiphe* Fl. Sv. 1292. *Floret* mense Frondescentiæ, dum & ipsa arbor frondescit. *Semina* dimittit mense Defoliationis; E feminibus, quæ facillime  
C oriun-

\*) Amœnitat. Acad. p 537. \*\*) Vide infr. Cap. X.



oriuntur, nec non divisis radicibus *propagatur*. Nobilis hæc arbor est ad ambulacra & sepes vivas ob tonsilitatem: minime tamen tonderi debet hieme, quo tempore lacrymas stillat, quæ saccharum dant \*). *Facilis transplantatu*, celeriterque crescit, ac gramine umbraculum gratum præbet.

URBANÆ quatuor breviter adumbratæ nobiliores arbores, sunt tantummodo inter nostrates, quæ ad ambulacra, vel ornamenta, tam arearum & pratorum, quam hortorum seligi debent. Hippocastanum etiam his addatur quoniam cœli nostri temperiem perfert, & jus civitatis apud nos obtinuit; gramen enim promovet, umbram præbet, locum ornat, decenti trunco & coma, folia ovibus, & bobus pabulum præstat.

## CAP. VII.

*Silvestres silvam, Pratenfes prata sed ornant.* VIRG.

IX. PRUNUS *Avium* Fl. Sv. 429. (Fogelkiersebår) *habitat* in Rinnefulla W. Gothiæ \*\*). Håckebårga Scaniæ \*\*\*). & Sfurugata Smolandia, haud procul Ekefiovia, vix vero aliis in locis extra hortum reperitur. Arboribus immixta habitare cupit, inprimis in umbrosis, declivibus & pinguioribus locis: interdum magnitudinem quercus attingit. *Floret* mense Florescentiæ. *Baccæ* maturatæ leguntur circa medium mensis Grossificationis, dum nuclei tam a pueris, quam avibus avidè leguntur, disperguntur & leminantur; *Baccæ* vero ceratorum Tetraones occidunt, quod in cavea horti academici observatum est. *Taleis* & vivis radicibus multiplicatur citius, quam nucleis, qui sæpe per totum annum in terra latent. Plurimas virgulas

\*) Act. Acad. Scient. Stockholmens. Ann. 1749.

\*\*\*) It. W. Goth. p. 25. 32. 33.

\*\*\*\*) It. Scanic. p. 279.



gulas e radicibus exerit, gramen promovet, apte tondetur densaque evadit. Num vero supra Helsingiam propagari possit, nondum constat.

X. PRUNUS *Padus* Fl. Sv. 431. (Hågg) *passim* per totam Sveciam usque in ipsam Lapponiam, locis tam umbrosis & nemorosis, quam campestribus delectatur; humidum respuit *solum*, terram vero argillaceam nec non humum atram contemnit. Prima inter nostrates arbores *frondescit*. *Floret* cum Tulipa mense Florescentiæ; hac florente fumat Juniperus, Brama prurit, Linum & Cannabis leritur. *Baccæ* vero a quibusdam percupide leguntur; facile *seruntur*, sæpissime tamen ab avibus; si seratur, *semina* sæpe per biennium in terra latent priusquam germinant; nullo ideoque negotio malleolis & turculis, radices citius agentibus, plantatur; gramen fovet, aptissime tondetur & densa evadit.

XI. CRATÆGUS *Aria* Fl. Sv. 433. (Oxel) *copiosissima* in Oelandia, nec infrequens in reliquis insulis, imprimis sinus Bothnici, *passim* etiam reperitur tam ad pagos, quam in pratis OstroGothiæ & Smolandia, Uplandia atque alibi, sed circa Gothoburgum rarissima est. Tam sabulosis farinaceis, quam argillofis maxime delectatur locis Colles sicca & aprica loca quærit, ubi ventis procellisque exposita est. Hæc excelsa arbor, altero quovis anno, copiosius fructum fert, altero vero longe parcius. *Floret* mense Florescentiæ, ut baccæ maturæ legantur mense Defoliationis. *Plantatur* facile baccis, sed *semina*, per biennium in terra latent, nisi hominibus vel avibus primum objiciantur. Aptissime *tondetur*; magna & densa evadit, promovet gramen; baccæ vero rusticis, pueris & gallinis lapidæ sunt, quamquam nimium flatulentæ. Ligni materies tenax & dura admodum est.

XII. SORBUS *Aucuparia* Fl. Sv. 435. (Runn vel Rõnn) ubique per totam patriam, in Norlandia etiam



*frequens; tam apricis, quam umbrosis latatur, declivia vero & fertiliora inprimis sibi expetit loca; humida fastidit. Floret mense Florescentiæ; Bacca sero maturefcunt uti Aria, haud ante pruina & casum foliorum. Arbor minus topiaria, ideoque minus apta ad ambulacra. Phalæna ceruleocephala Syst. Nat. 30. Crysomela nigra Syst. Nat. aliaque insecta hujus arboris folia consumunt, ut rami etiam passim contabescant. Taleis & vivis radicibus multiplicatur potius, quam seminibus, quæ vix ab aliis, quam avibus, feruntur. Hæc sorbus minime ingrata est gramini, sed plantas optata umbra protegit. Pyrus in hac arbore aptissime inferi potest.*

XIII. PYRUS *Malus* Fl. Sv. 437. (Sfogzappel) *habitat* ad pagos & sepes per totum Sveciæ australioris regnum, velut Corvus Pica, inprimis vero in silvaticis Scaniæ pratis, ubi fertilissimum erat solum. *Lætius crescit* in declivibus & umbrosis locis, quam apricis & uliginosis; extra hortum sæpe rustica evadit & Lichenibus canescit. Commodè seminibus multiplicatur, nec majori labore vivis radicibus & surculis propagatur. *Floret speciosissime* mense Florescentiæ, at fructum accipiamus maturum mense Messis. Varietas arboris triplex occurrit: Fructu acidissimo Surappel; Fructu amaro Bessappel, Smolandia alumna; & Fructu subdulci Sôtappel, quæ rarior est extra hortos. Harum ex fructu Cidra Anglorum exprimitur. Neque folia, nec radices gramini nocent, fructus vero silvestris gratissimus est suis. Silvestres arbores, e varietate acida in hortos introductæ, infitioni *Malorum* nobiliorum accommodatissimæ sunt, cum ejusmodi Mali nec hiemis sævitia frangantur, nec a muribus amphibiis radices ejus rodantur, adeoque colonis magnopere commendanda.

XIV. PYRUS *communis* Fl. Sv. 436. (Wilsdårn) *habitat* prope Stockholmiæ ad Mariæberg & alibi, nec non in Gothlandia passim, at in Scania frequentius, ibique



que oras silvarum! plerumque occupat. Declivia & ferilliora loca eligit, humida vero respuit. Hæc inculta, est spinosa arbor, quæ *floret* paulo ante, quam *malus*, sed fructum ferius maturat, e quo Cidram parant australiores. Vivis radicibus raro, plerumque vero feminibus per totam patriam, uti præcedens, exoritur; in Norlandia vix cœlum fert. Hæc neque destruit gramen, neque frigidissima hiems ei nocet; aliasque etiam Pyri varietates nobiliores insertione facillime recipit.

§. II.

PRATENSES hæc, cum Urbanis, ac *Alno*, *Corylo* & *Frangula* sunt arbores, quæ in pratis propagari & multiplicari deberent; quum non tantum pulcra inde evadunt, sed gramen etiam promovent. Dum vero prata hisce ornantur, opus est, ut caveamus, ne copiosiores silvam constituent, sed ut spatia areæ III vel IV tonnarum passim relinquuntur, hisce arboribus distincta, tum efficiunt, ne ventis exsiccentur prata: immo rore suo lætiores reddunt plantas. Hac ratione prata pulcerrima fertilissimaque redduntur hortisque simillima, ut in magna Britannia, præcipue vero principatu Essexensi, videre est, nec, uti hodie apud nos, tristissimam plerumque præbent speciem silvæ sterilis.

CAP. VIII.

§. I.

SILVESTRES.

*Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt:*

*Fluminibus Salices, crassisque paludibus Alni*

*Nascuntur; steriles saxosis montibus Orni:*

*Littora Myrtetis lætissima, denique apertos*

*Ulmus amat colles, aquilonem & frigora Taxi.*

VIRG. GEORG.



**QUERCUS Robur** Fl. Sv. 870. (Cf.) nemorosum tenella, apricum adultior, amat *locum*, magis altis & montosis, quam uliginosis lætatur; frigidum nostrum clima tolerat; ab extrema Scaniæ ora ad Gestriciam, ubi juxta ustrinam Hårnø ultima numeratur, in Finlandia vix ultra Biörnøborg reperitur: an versus Septentrionem propagari queat nondum novi, in Dalekarlia, proprie dicta, neque occurrit, raro etiam in Wermelandia supra Carolstadium. *Floret*, cum frondescere primum incipit, circa finem mensis Frondescentiæ. Masculi & feminei flores diversis gaudent thalamis, in eadem arbore. *Fruetum* maturum dimittit mense Defoliationis, quo tempore glandes collatæ terræ mandentur, aut per hiemem in loco frigido asserventur; proximo mense Regelationis serantur. *Arbor* inter nostrates maximas merito habetur, \*) & satis longæva \*\*), hiemum chronica \*\*\*), pratis valde noxia \*\*\*\*), nec transplantanda, quoniam radices profunde descendunt, ideoque eradicari nequit sine radicis primaria mutilatione, unde pygmæa persistit: feliciter *propagatur* glandibus, quæ in juniperetis feri debent, at intra biennium rarius germinant; si crescat tenerior arbor in angustiis, inter alias arbores recta & minus ramosa evadit \*\*\*\*\*). *Rami*, si magis, quam par est, detruncantur, relicta minime coma, emarcescit tandemque emoritur, quod experientia monstrat Oeconomis OstroGothiæ. *Folia* urida retinet sæpe apud nos per totam hiemem, quæ deponit mense Frondescentiæ aliquot diebus, antequam nova induatur veste.

XVI. **FAGUS silvatica** Fl. Sv. 871 (Bof & Bøf) Scaniam & Smolandiam australem præcipue occupavit, ibique vastissimas constituent silvas, vix vero versus Septentrionem in Bahusia & in monte Åmberg OstroGothiæ

---

\*) It. Gothland. p. 203. \*\*) Oeland. 68. \*\*\*) Scanic. 68. \*\*\*\*) Itr. WestGoth. 67. \*\*\*\*\*) Oeland. 31, item p. 134.



thiæ unicam alteramve tantum vidi. Fertile amat *solum*, campos etiamnum tenera vix patitur, sed ut ab aliis arboribus obumbretur necesse est. Supra Smolandiam difficilius provenit, sata & humile arbuſtum perſiſtit. Sic Fagus hæc, ante ſeculum circiter, in hortum Upſalienſem invec̄ta fuit, ſed per hos centum annos, nec arte nec opere unquam, unam tantum orgyam attingere ſuſtinuit, quamquam in natali loco maxima noſtratum evadit, ut de una tantum arbore L & LX vehes lignorum obtineantur. *Floret* eodem tempore, quo Quercus *Robur*. Facile glandibus ſeritur, quæ muſcis tegantur. Depreſſum roridumque ac nemoroſum quærit ſolum. Folia, quæ decidere, nec facile computreſcunt, tegunt terram, exhalationes retinent & ſucculentioſam eandem reddunt. Difficilis *transplantatu*, quia, ſi radix primaria detruncetur, uti quercus, vix ulterius in altum attollitur caudex. Veſtes foliaceas, per totam hiemem, ſæpius heic loci retinet, nec deponit antiquas, antequam novis induatur. Arbor hæc maxima, gratiſſima vernantibus frondibus, plantas umbra ſuffocans adeoque pratis inviſa, topiaria præſtantiſſima in hortis ad altas pulcerrimasque ſepes; non quovis anno, ſed, ſiccio imprimis prægreſſo ſolſtitio æſtivo, flores fructusque parit.

XVII Carpinus *Betulus* Fl. Sv. 872. (Wenboſ) ſupra Wexioniam Smolandia rarior, infra vero frequens, & in Scania præſertim auſtraliſſima campeſtriſſima. Mere ſilvatica loca ſæpius conſiſtente & macra terra lætatur nec fertiliorem contemnit, ſed declivibus delectatur. E Gallia in noſtros hortos ad hunc uſque diem transfertur, ſub nomine *Cberme*, tamquam peregrina nobis arbor; frigus noſtrum ſuſtinet, etiam Upſalia, ſed neſcio qua de cauſa non feminibus apud nos facile propagari poteſt. *Floret* menſe Frondeſcentiæ & ſemina ſpargit menſe Defoliationis, quæ in terra tam diu latent, quam  
nuces



nuces avellanæ. \*) Facilis est *transplantatu*. Hæc Coryli affinis, aquam vere stillat; *topiaria* in hortis, sepibus inservitura, inter primas numeranda; alit pecora frondibus, at pratis minime favet.

XVIII. Betula *Alnus* Fl. Sv. 861. (Mhl.) variat qua locum a). *Alnus Rotundifolia Glutinosa viridis*, ubique frequens in Svecia & Gothia, rarissima & vix in Norlandia; ubique humidis & depressis lætatur, ubi radices inundantur, itaque maxime ad ripas lacuum & fluviorum progerminat, ubi magna & pulchra non tantum evadit, sed & terram radicibus suis figit, ne ab aquis affluentibus torrentibusve erodantur. Respuit omnino terram calcaream; unde etiam rarissima in Gothlandia, nec facile occurrit in confiniis Upsaliæ urbis proximis. *Floret* mense Frondescentiæ. Amenta mascula totam hiemem flores femineos erupturos expectant: semina mense Messis vento disperguntur, quæ celeriter germinant; nullo negotio malleolis & stolonibus propagatur. Observandum hanc unicam facile esse e silvestribus, quæ ubique fœni proventui favet rorida sua umbra, ideoque minime in pratis extirpanda. b) *Alnus folio incano* differens cortice albo foliis acutis non glutinosis \*\*) per totam Norlandiam, inque montibus W. Gothiæ, Dalekariæ, Smolandiæ ad Håswågen passim reperitur in siccis, frigidioribus & montosis crescit. c) Alia etiam singularis varietas a N. D. Præsidi observata est in Bahusia \*\*\*).

XIX. BETULA *alba* Fl. Sv. 859. (Björk) variat etiam ex loco vel solo, unde nostratibus nomina diversa huic adduntur, ut Hångbjörk vel Lofbjörk, Glasbjörk, Masbjörk och Siellsbjörk, ipsas Alpes nostras boreales intrare audet, licet pygmæa persistat; deinde *frequens* est per totam Sveciam usque in campos Scaniæ; qua *solum* minus delicata est; quia in

\*) Vid. Frutic. Svecic. p. 6. \*\*) Iter Oel. p. 18. W. Gothic. 13. \*\*\*) Iter W. Gothic. 121.



in humo atra luxuriat, & in macra, glareosa, arenosa, argillosa crescere nunquam desistit; aprica æque ac umbrosa loca non fastidit, quare in vastissimis silvis interdum frequentissima: hiemis, ut ita dicam, propria arbor est, splendet cortice albo, hieme crySTALLIS glacialibus quasi pulcre frondescit, stillat, ante frondescentiam, aquam fauciat; pratum exsiccat, unde in pratis jus civitatis obtinere non debet. *Floret* mense Frondescentiæ & dimittit semina mense Messis; facillime tam vivis radicibus, quam seminibus propagatur; apte tondetur & magna evadit.

XX. POPULUS *tremula* Fl. Sv. 909. (Asp.) nec colles, nec convalles, nec campi, nec silvæ eam abhorrent intra fines nostræ patriæ, sed in omni solo vel loco *cre-scere* solet a summis Lapponiæ alpibus, in ultimum usque Scaniæ campum, argillosa tamen minus lætatur humo. Emaciat terram, dimissis foliis gramen suffocat & millenis surculis repens superficiem terræ occupat. Etsi vero plerumque luci apud rusticos Populis hisce tremulis constant, minime tamen huic negotio apta evadit; quia folia non tantum semper tremulant, quod ingratum auribus susurrum efficiunt, sed etiam Ranas Bufones & Colubros decidua folia sub se occultant, *Floret* mense Regelationis, unde florescentia gelidis noctibus sæpe impeditur; Mares & Feminae in distinctis sunt arboribus, sicut in reliquis Populis; quare etiam semina, ut sæpissime accidit, minime fœcundata evadunt. Seminibus non est quod *seratur*, sed stolones vel malleoli in terra dispositi radices facillime agunt, commodeque transplantatur. Cortex primarius lapidissimusque est Castorum cibus.

XXI. POPULUS Fl. Sv. 910. *nigra* (Voppel eller Slugeträd), recentiori ævo, ut insequens introducta, nunc vero hiemes in ipsa Uplandia optime tolerat, unde inter indigenas merito locum habet: magis, quam antecedens ornat rura foliis suis majoribus subrotundis & levibus, sed truncus cortice obscuriore scaber est; roridum *solum* amat, humo atra læta-



tur nec contemnit steriliorem terram. *Floret* prius, quam folia explicavit; Semina apud nos raro foecunda spargit mense Messis; unde certius est malleolis, & divisis radicibus eam, vernali tempore, multiplicare. Facile *tondetur*; celeriter crescit; pulcra, densa & alta gaudet panicula.

XXII. POPULUS *alba* Fl. Sv. 911. (Abel) passim in Scania ab exteris etiam, ut praecedens, recentiori aëvo introducta est hæc antecedentium soror; gaudet majoribus foliis acuminatis, ferratis, subtus tomentosis. In solo depresso & argilloso lætatur, fertiori etiam luxuriat, sed sicca & dura fastidit, præcipue vero terram humidiusculam eligit. *Floret* cum Populo *tremula*, semina etiam eodem tempore emittit. Facile per stolones & malleolos multiplicatur, aptissime *tondetur* & densa evadit, sed radicibus sæpe repit; stolones difficiliter depositi rarius radicanter. Citissime altissima nostratum arborum evadit, clima nostrum perfert, silvas ornat, lucos constituit, at gramini non favet.

XXIII. SALIX *fragilis* Fl. Sv. 883 (Nil) per totam Sveciam occurrit, præsertim in humentibus & ad ripas; minus qua *solum* delicata est, si modo locus rigidus sit. *Floret* mense Frondescentiæ, eodem tempore, quo ipsa frondescit. *Semina* spargit mense Grossificationis: *Mares* & *Feminae* diversis gaudent arboribus, ut in plerisque Salicibus. Non est, quod seminibus *seratur*, sed rami seu stolones in terra mense Regelationis depositi, radices facillime agunt, celerrime crescunt ad altitudinem Carpinum: *Tonsionem* minime respuit, unde ad ambulacra in locis humidiusculis eligitur, quamquam minus apta, quum ex foliis semper velut rorem exhalat vel pluvias inconspicuas, quo vias adjacentes humectat, terramque amentis lanatis conspurcat: porro sæpe foliis omnibus privatur a Phalæna *Salicis* Syst. Nat. 29., cæterum, si ad ambulacra hæc arbor aptatur, mares tunc præ feminis eligendi. Fragilissimis gaudet ramis ad genicula, quare etiam placidum amat locum, ne a procellis frangantur majores rami.



XXIV. SALIX *alba* Fl. Sv. 903. (Smitpil) hæc antecedentis germana soror, passim in Scania australi *habitat*; e Dania & Germania ad nostras terras delata; apertis locis imprimis delectatur; nec foliis spoliatur a Phakena *Salicis*; est minus præcedente fragilis. *Floret*, frondescit & propagatur uti prior. Apte *tondetur*, paniculam fert præstantissimam, nec lente crescit. In Uplandia nunquam hanc vidi, unde an nostra frigora toleret, nihil statuo.

XXV. SALIX *caprea* Fl. Sv. 900. (Sålg) in tota Suecia occurrit, præsertim vero in Norlandia & Lapponia. Nulla inter Salicis species sicciorem quarit terram, quam hæc; unde aridissimos colles occupat; facile *propagatur* stolonibus, malleolis & vivis etiam radicibus, ut non opus forsitan sit feminibus eam multiplicare. Arbor quamquam minus pulchra ob corticem rimosum, magnæ tamen est utilitatis in Oeconomia rurali; Paniculam fere alro tertioque quovis anno amputare licet, cujus folia sapidissima sunt pecoribus tempore hiemali. Cortex coriarius a Lapponibus habetur, eoque chirothecæ præstantissimæ (vulgo *Slippings handskar* dictæ) præparantur a Scanis \*). Qui mellificia apum instituunt, non facile apud nos carent hac arbore, quæ primo vere, antequam reliquæ florent, alimentum sistunt famelicis apibus, ut ex iis & mel & ceram colligant prius, quam reliqui flores sufficiunt.

§. II.

SILVESTRES has arbores, *Alno* excepta, sedulus prudensque colonus prata fertilia intrare pascua nunquam finat, ne ex prato silva fiat, quum hæc terram exsuccam reddunt, herbas subjacentes emaciant, ut terra muscis sterilissimis obducatur.

CAP. IX.

§. I.

EXOTICÆ.

*A teneris advescere multum est.*

VIRG.

D 2

XXIV.



XXVI. *ÆSCULUS Hippocastanum* Spec. Plant. 345. (Håstfastanie) quæ ante CC. annos ex oriente in Europam translata & nunc haud rara in hortis nostris, ubi sponte e seminibus propagatur. Frigus nostrum tolerat; *letatur* humo atra, pingvi & humidiuscula; colles autem & uliginosa fastidit. *Floret* mense Florescentiæ, emittit semina mense Messis. Facile *transplantatur*, tonsione etiam aptam comam acquirit, ut nemo dubitet eam ad ambulacra & ad fores vel portas ponere, quum, vernali tempore, flores spectatorum oculos egregie pascunt; locum ornat, odorem spargit gratissimum, fovet gramen, unde inter urbanas & pratenses juste locum meretur.

XXVII. *ACER Pseudoplatanus* Spec. Plant. 1055. (Sveitsare Lönn) patriam suam agnoscit Helvetiam & Austriam, ne dicam toti Germaniæ tam commune, quam nostrum Acer apud illos rarum est. *Æmulatur* amplissima nostratum; gaudet foliis quinquelobis, inæqualiter serratis, petiolis canaliculatis. Hiemes nostras usque in Hålsveden sustinet, & reperitur etiam in hortis nonnullis circa Holmiam, sed lætius crescere solet in meridionalibus Sveciæ regionibus, ubi idem solum postulat, parique modo propagatur, ac de Acere nostro dictum est.

XXVIII. *PRUNUS Cerasus sativa* Spec. Plant. 474. (Riersebår) frequens in hortis rusticorum Uplandiæ, ubi seminibus & radicibus copiosissime sese multiplicat; *Floret* mense Frondescentiæ & rura illustrat; *Baccæ* autumnò gulosis pueris aliisque gratissimæ. Facile in pratis *proveniunt*, modo tenellæ a pecoribus custodiantur, usque dum altiores factæ sint. *Solum* elatius & terram arenosam expetunt.

XXIX. *PRUNUS domestica* Spec. Plant. 475. (Blommon) copiosissime in Rinnefulla W. Gothiæ; vulgaris etiam in hortis rusticorum. Loca altiora & ventis exposita expetit, minus alta evadit, pratis favet; ideoque etiam cum præcedente in pratis feri posset, modo tenera a pecoribus non lædatur.



CAP. X.

§. I.

Necessum vero omnibus erit, qui, aut communi aut propria utilitate ducti, arbores propagare gestiunt; ut

I:o *Aerem*; seu clima cujusque arboris examinent, & scrutentur, in qua scilicet regione hæc, vel illa arbor crescere velit, quia *Acer Pseudopiantanum* e. g. in Alpibus, uti aer tenuissimus & gelidissimus est, propagare, æque alienum foret ac *Betulam nanam* in aridissimis Scaniae campis ferere. /6

II:o *Cibum*; seu utrum arbor pingve vel macrum sibi expetat solum, an melius vigeat in argilla, arena vel glarea &c.

III:o *Potum*; scilicet num natura arboris postulet exaridum, roridum, humidum, an uliginosum locum?

IV:o *Motum*; nempe ut justo ponatur loco aut inter alias arbores, ubi minus exposita est ventorum injuriæ & quassationi, aut in aperto loco.

V:o *Excreta*; vel, ut generatio & fructificatio comode & legitime peragatur. /a

VI:o *Mores*; an faveat herbis, quæ sub coma illius crescunt, nec ne.

VII:o *Serendi modum*; seu, quomodo & quo tempore femina terræ mandari debeant; aut si viva radice, aut maleolis aut stolonibus propagari possint. /l.

VIII:o *Tonsilitatem*; si topiaria est, nec ne, & quo tempore melius fiat.

§. II.

a) Nulla arbor cum stillat aquam vel lacrymas fundit, tonderi debet; tempus vero tondendi est autumnale & vernale, cumque XIV. dies, peracto æstivali solstitio, exfluxere. b) Proveciores arbores cum transplantantur, fiat massa radicali adhærente, Svet. (flimpy), mense quidem Regelarionis c). Latus meridie oppositum (Svet. Golsidan) observetur cum arbor transplantetur; in primis in iis, qui majorem curam expetunt, & præcipue in resinosis silvaticis.

E

§. III.



§. III.

Coloni itaque, qui ornent rura sua aptissimis arboribus ex datis sciant, quas in singulo solo serant, ne perversa methodo vim naturæ inferant, & infelici successu oleum operamque perdant. SILVESTRES in aridis, sterilibus, montosisque sint, ut *Pinus silvestris*, *Juniperus communis*, *Betula alba* & *Salix caprea*; sed in subhumidis *Abies Betula* & *Juniperus*; In fertiliori autem solo ornantur loca excelsa *Quercubus* & *Carpinis*; decliva *Populo tremula*, humidiora *Alno*. PRATENSES sibi deligunt pinguem humum, unde Colles vestiri debent *Tiliis*; aprica *Cratægis Ariis*; spongiosa sorbis aucupariis, *Pyris*, *Malis*, *Ulmis*, *Fraxinis*, & *Aceribus*; Aquosa vero *Alnis*. AMBULACRA & LUCI consistunt *Ulmis*, *Fraxinis*, *Tiliis*, *Aceribus* & *Æsculis*. Ad PAGOS *Æsculus*, *Populus nigra* & *alba*. Ad POSTES & ante Fores tonitræ *Abietes*, *Taxi* & *Juniperi* haud minori locum ornatu collustraturæ, quam Romanorum Cupressi.

§. IV.

Omnia vero requisita, quæ ad ipsam praxin pertinent, si enumerarentur, non Dissertatio, sed integrum volumen conscribendum foret: Ideoque potestatem imperii tenentes populo silviculturam serere si injungant, nec facilius via ac ratio, me judice, voti obtinendi suppetet, quam si plantationes publicæ ad Academiæ regni instituerentur, quo studiosæ juventuti facultas daretur ejusmodi methodum propriis oculis intuendi & in hoc exercendi occasio subnasceretur optima; illisque tandem, per totam patriam, longe lateque dispersis, non sine singulari utilitate, notitia comparata etiam ad rusticorum gregem dimanaret.

Opusculum hocce ad salutem Patriæ si quid conducere valet, exoptatissimam votorum laborisque metam scopumque tetigi, quo mihi nihil jucundius, nihil optatius acciderit unquam.

S. D. G.